

quod est posterius in re: nec ex parte ipsarum rerum: nam licet res inter se ordinem habeant; non tamen sequitur, quod illum habeant ad inuicem prout sunt significabiles; quia illud, quod posterius est, potest prius significari. Alias probationes vide apud Doctorem, de quibus nos ibi.

Tertia pars sequitur ex secunda: nam si vox non significat per prius, aut posterius, nec etiam stabit pro famosiori significato: & ultra: nam terminus æquiuocus Analogus æque primo significat plura ex modo significandi: & si fuerit vniuocus, per se primo significabit rationem illam communem, in qua inferiora vniuntur: ergo non stabit pro hoc, vel pro illo, Logice loquendo.

Ad argu.  
1. Sentent.

Ad argumentum primæ sententiæ nego minorem: nam omnis prædicatio ad vniuocam, vel æquiuocam, reducitur: & ita prædicatio Analogæ vel cadit sub istis Metaphysicè loquendo, vel nulla datur: si Logice loquamur.

## QVÆST. IX.

An prima regula sit vera?

Quædo alterum de altero prædicatur, ut de subiecto: quacunque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia hæc de subiecto dicuntur, &c.  
Capit. 3.



VÉRITVR, de veritate huius primæ Regulæ Arist. scilicet, quando alterum de altero prædicatur, ut de subiecto, quidquid prædicatur de prædicato,

prædicatur de subiecto: quod sit falsa videtur: quia animal est prædicatum de homine; & album de animali: ergo album de homine, secundum istam ergo rationem, teneret hæc consequentia: animal est album: ergo homo est albus, & tamen videtur esse fallacia consequentis. Similiter antecedens potest esse verum sine consequente.

Item, secundum hanc regulam sequeretur: substantia est generalissimum: igitur animal est generalissimum.

Item, si quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto, sed prædicatum prædicatur de prædicato: quia prædicatum est prædicatum: igitur prædicatum prædicatur de subiecto: igitur subiectum est prædicatum.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicendum, quod Regula est vera, quando illa tria sumuntur in eodem genere essentialiter ordinata: quidquid prædicatur essentialiter, sicut hic sumitur prædicari; de prædicato, essentialiter prædicatur de subiecto. Cum hoc etiam intelligenda est Regula, quando prædicatum intermedium non variatur in comparatione ad prædicatum de ipso, & ad subiectum, de quo prædicatur: per primam conditionem soluitur duo prima argumenta: quia album, & generalissimum, non prædicantur de animali & substantia essentialiter. Similiter secundum fallit penes variationem prædicati intermedij: quia sic arguendo, ut ibi, est fallacia accidentis.

Ad tertium dicitur: quod Regula debet intelligi de prædicari signato in intentionibus: in fundamentis de prædicari exercito: arguitur autem in intentionibus cum esse, per quod exercetur prædicatio: idè non tenet.

Contra hoc: secundum omnes conditiones istas, hæc consequentia: animal est substantia: igitur homo est substantia: esset bona: quia hic sumuntur tria essentialiter ordinata in eodem genere; nec variatur prædicatum intermedium: & arguitur in primis intentionibus de prædicari exercito: sed ista consequentia non valet: igitur omnes prædictæ conditiones non saluant veritatem Regulæ: probatio minoris: quia sequitur: Almus est substantia: ergo animal est substantia, & non sequitur: igitur homo est substantia: igitur ista, homo est substantia: est antecedens non conuertibile istis: animal est substantia: igitur e conuersio arguendo, est fallacia consequentis a positione consequentis, & a propositione habente plures causas veritatis ad vnam illarum.

Item, nulla consequentia tenet nisi in virtute Syllogismi: sed si hæc reducatur in syllogismum: cum homo, & substantia, faciant conclusionem; erunt extrema, & animal medium: factum igitur antecedente prius, nunc maiore; erit syllogismus in prima figura habens maiorem particularem, quæ non valet in quibuscumque terminis: quia forma arguendi in omnibus est

est eadem: igitur nec consequentia prius valet.

Item, forma arguendi eadem est in essentialibus prædicatis, & non essentialibus: quia consequentia tenet ex significatione propositionum; sicut & syllogismus: per hanc autem: animal est substantia: non significatur maior identitas extremorum; quam per hanc: animal est album: igitur ex significatione sermonis non plus significatur, prædicatum vnum esse idem homini, quam aliud.

Si dicatur, quod esse est vnico extremorum: & idè talem vnionem dicit, qualis debetur extremis: & ita maior identitas significatur hic: animal est substantia: quam hic, animal est album.

Hoc non videtur esse verum: quia tunc omnis propositio de inesse simpliciter significaret se esse talem: & omnis propositio de inesse, ut nunc, significaret se esse de inesse, ut nunc; & ita exponendo esset nugatio, ut hic: homo ut nunc est albus: & hic esset repugnantia intellectuum: homo simpliciter est albus vel necessario: quod non videtur probabile. Similiter hic esset nugatio: homo necessario est animal, vel semper est animal: & hic esset repugnantia intellectuum: homo, ut nunc, est animal, est hoc: igitur, oppositum vnum diminueret alterum: & ita in hac consequentia: homo, ut nunc, est animal: igitur homo est animal: esset fallacia secundum quid, & simpliciter, & hic similiter: animal necessario est album: igitur animal est album: & ita ad illam de necessario, non sequeretur illa de inesse in omnibus terminis. Quod consequentia non valet, animal necessario est album: igitur animal est album: patet per Aristot. secundo Perihermenias: quia quando est oppositio in adiecto; non tenet a coniectis ad diuisa. Similiter si valet: ergo consequens non ponit intellectum oppositum antecedenti.

Cap. 2.

Propter tres rationes principales potest dici: quod non sequitur formaliter, animal est substantia: igitur homo est substantia: sicut nec sequitur: substantia est album: igitur animal: quia ex significatione sermonis utrobique antecedens eodem modo se habet ad consequens.

Sed ad quæstionem tunc est dicendum, quod Regula est vera: quia per se

datur de secundis intentionibus, sicut Logicus debet loqui: & sumendo prædicari proprie; quod est præ alio dicitur: tunc tantum, & non plus, significatur per Regulam, quod est prius priore, est prius posteriore: vel quod est superius superiore, est superius inferiore: cuius veritas nulli dubia est: & ita conuenienter ponitur ut Regula: quia eius veritas omnibus est nota. Si autem dicatur, quod Aristot. exemplificat de rebus primæ intentionis, quomodo igitur arguendum est in illis secundum hanc Regulam?

Dico, quod Aristot. sic exemplificat, ut homo de quodam homine prædicatur: animal vero de homine: ergo, & de quodam homine: vbi significatur, animal essentialiter prædicari de homine: si autem debeat exerceri ista prædicatio cum hoc verbo, est, oportet, ad arguendum secundum Regulam, modificare compositionem per aliquid, quod notet prædicatum prædicari de subiecto: sicut hic sumitur prædicari: & tunc sic est arguendum, homo per se primo modo est animal: quidam homo per se primo modo est homo, vel essentialiter: igitur quidam homo per se est animal. Si autem absolute arguatur: animal est substantia: igitur homo, nihil exprimitur in antecedente, quod nominet ibi virtutem huius Regulæ: quia per esse absolute non significatur prædicatum prædicari; id est, esse subiecto prius, vel superius ipso.

Si autem dicatur, quod Aristot. sumit absolute compositionem dicendo sic, quidam enim homo: & homo est, & animal est.

Dico, quod intelligit per se: quia sic expressit prius in secundis intentionibus: animal prædicatur de homine: unde sequens est intelligendum sicut præcedens.

Ad duo argumenta contra responsionem patet.

Ad tertium dico, quod respectu subiecti prædicatum est prædicatum tantum prædicatione signata: sed prædicatum respectu prædicati est prædicatum prædicatione exercita tantum. Regula autem est intelligenda vtraque prædicatione vniuersimter sumpta.

Si arguatur, hæc tenet: animal prædicatur de homine: vbi est prædicatio signata: & quidam homo per se est homo:

V 2 ubi

vbi est predicatio exercita: ergo quiddam homo per se est animal.

Dico, quod haec: animal predicatur de homine: est per accidens: non tamen animal predicatur secundum accidens, & est vera pro predicatione exercita: & ita vtroque; est veritas, sumendo vni-formiter predicationem exercitam.

Summa textus: simul & explicatio.

AD plenioram intelligentiam eorum, quae in Predicamento collocantur, duas Regulas Antepredicamentales assignat Arist. quarum prima deseruit ad cognoscendum Predicamentorum profunditatem id est, progressum a superiori genere vsq; ad individua: & de huius Regulae veritate inquit Doctor in praesenti: partem eius falsitatem ostendentem tribus rationibus probat, quibus non obstantibus concludit esse veram: pro cuius intelligentia.

1. Notan.

Notandum primo: quod predicatio praedicati de subiecto aut est necessaria, aut contingens; hoc est, vel essentialis, vel accidentalis. Et rursus quaelibet aut est exercita, aut signata: & vtraque potest fieri in primis, & in secundis intentionibus: quapropter quaeritur: an haec Regula de omni predicatione in omnibus intentionibus intelligatur.

2. Notan.

Secundo notandum: quod tam subiectum, quam praedicatum, quae illud aliud, quod de praedicatione dicitur, possunt sumi, vel prout in eodem genere ordinantur, vel prout in diuerso: id est, ut praedicatum sit alterius generis a genere subiecti: & tunc, ut praedicatum praedicati dicatur subiecto conuenire, tria requiruntur: primum, ut praedicatum praedicati dicatur de omni illo, quod per praedicationem intelligitur: quare haec consequentia non valet: homo est animal, animal est irrationalis: ergo homo est irrationalis: ratio est: quia irrationalis non dicitur de toto, quod sub animali continetur. Secundum requiritur, quod praedicatum praedicati non habeat maiorem connexionem cum subiecto, de quo debeat praedicari: vnde non sequitur: hoc genus est essentialiter vniuersale: vniuersale est accidentaliter genus: ergo hoc genus est accidentaliter genus. Ratio: quia genus, quod praedicatur de vniuersali, habet maiorem nexum cum hoc genere: nam immediate praedicatur de illo, & vniuersale mediate. Tertium est: ne varietur suppositio: id est, ne dicatur de praedicatione alia ratione, qua praedicatum dicitur de subiecto: quare non valet: substantia est generalissimum: animal est substantia: ergo animal est generalissimum. Ratio: quia generalissimum dicitur de substantia, quatenus est vltimum praedicatum non habens supra se aliud, & substantia dicitur de animali, quatenus suble habet inferiora, de quibus essentialiter dicitur. Et hoc est, quod ait Doctor, praedicatum intermedium non variari.

Tertio notandum ex Doctore s. sed ad quaest. 3. Nota. fitionem: quod quando Regula exercetur in primis intentionibus, debet addi subiecto aliquid modificans compositionem: hoc est, quod denotet praedicatum praedicari de subiecto, & praillud dici, & esse prius illo: praedicatum enim praedicari de subiecto (ait Doctor) est pra alio dicitur, id est, esse superius inferiore, & prius illo: & tunc sic est arguendum: homo per se primo modo est animal: Petrus per se primo modo est homo: igitur Petrus per se essentialiter est animal: nam si absolute sine tali modificante arguatur: v. g. animal est substantia: ergo homo est substantia: non tenet Regula: quia nihil exprimitur in antecedente, quod illius virtutem explicet: nam per esse absolute pronuntiatum, non significatur, praedicatum praedicari proprie (vt loquimur) id est, esse prius, seu superius, subiecto. Vnde Regula praedicta equiualeat istis: Quod est prius priore, est prius posteriore: vel istis, Quod est superius superiore, est superius inferiore. Et per hoc notabile soluitur tria argumenta facta contra veritatem Regulae habita ibi: contra hoc, &c.

1. Concln.

Dicendum primo. Si subiectum, & praedicatum, sumantur in eodem genere ordinata, & praedicatio sit eiusdem rationis, vel exercita, vel signata, Regula haec est vera, & infallibilis. Hanc probat Doctor: quia tunc equiualeat istis, Quod est prius priore, est prius posteriore: vel Quod est superius superiore, est superius inferiore: quae omnibus est nota: bene enim sequitur in secundis intentionibus: homo praedicatur de quodam homine: animal praedicatur de homine: ergo animal praedicatur de quodam homine. Et in primis; etiam valet: homo essentialiter est animal: animal essentialiter est substantia: ergo homo essentialiter est substantia.

2. Conclns.

Dicendum secundo. Regula haec, quamuis ab Arist. & a Doctore, comparatione praedicatorum essentialium constituitur, etiam se extendit ad praedicata diuersorum generum, & ad alia praedicata non essentialia: dummodo tres illae conditiones obseruentur. Patet: nam sequitur: homo accidentaliter est albus: albus est coloratum: ergo homo accidentaliter est coloratum. Et etiam sequitur: Paulus est homo: homo est risibilis: ergo Paulus est risibilis.

3. Conclns.

Dicendum tertio. Ad huius Regulae veritatem reducitur veritas Regulae negatiuae illi oppositae: scilicet quando aliquid praedicatur de aliquo, quod negatur de praedicatione, negatur etiam de subiecto: vt albedo est color: color non est quantus: ergo nec albedo est quanta. Reducitur etiam modus arguendi, quem de primo ad vltimum vocamus: vt homo est animal: animal est viuens, corporeum, substantia, & ens: ergo, & homo: seruatis tamen conditionibus supra dictis. Haec duae vltimae conclusiones non expresse habentur a Doctore hic, sunt tamen omnibus communes. Solutiones argumentorum in oppositum in textu, & ex dictis patent.

Quaest.

QVÆST. X.

Utrum aliquid possit esse in diuersis generibus?

Diuersorum generum, & non subalternatum positorum, diuersa sunt species, & differentia: vt animalis, & scientia, &c. Cap. 4.



VERITVR: de veritate huius Regulae: diuersorum generum, & non subalternatum positorum diuersa sunt species, & differentia: vtru aliquid possit esse in diuersis generibus? Quod sic videtur: corpus est in genere substantiae, per Porphyrium; & in genere qualitatis, per Aristot. cap. de quantitate.

Item, figura est in genere quantitatis: quia Geometer, qui per se tantum considerat quantitates, per se considerat figuram, & figura est in genere qualitatis, per Arist. cap. de qualitate.

Item, scientia per se est in genere qualitatis: quia est in prima specie, & est per se relatiuum, per ipsum cap. de relatione, & quinto Metaph. similiter.

Item, duplum, & dimidium, sunt quantitates per se, & relatiua. Similiter proprium est secundum qualitatem simile, vel dissimile, dicitur: & secundum quantitatem aequale, & inaequale: ergo haec sunt in illis generibus, & sunt per se relatiua per Arist. consimiliter arguitur de multis alijs relatiuis.

Item, motus videtur esse in genere quantitatis, & in genere actionis; vel passionis: primum probatur per Arist. 5. Metaph. cap. de quanto: tempus est quantitas per motum: igitur motus magis, & tempus est per se species quantitatis continuae: quia est quinta species quantitatis per Arist. igitur magis motus est species quantitatis. Probatio secundi: quia omne verè praedicatum in abstracto de aliquo est idè essentialiter illi, haec est vera, passio est motus; & actio est motus: igitur, &c. probatio minoris, haec per se est vera, patiens mouetur: ergo passio est motus.

Item, per Arist. 5. Physic. motus acci-

Text. com. 18. Item, per Arist. 5. Physic. motus acci- 4. & inde.

pit speciem a termino ad quem: igitur similiter & genus, sed per se terminus motus est in tribus generibus, per Arist. ibidem, scilicet, quantitate, qualitate, & vbi, igitur motus est per se in illis tribus generibus.

Text. com. 9. & inde.

Si dicatur; quod motus aequiuocè est in illis tribus generibus.

Contra, motus dicitur de alteratione, & augmentatione, & loci mutatione, secundum idem nomen, & eandem rationem essentialè: scilicet, actus entis in potentia, in quantum in potentia, quae est ratio eius, per Arist. 3. Physicorum, igitur vniuocè.

Text. com. 6

Ad oppositum est Aristoteles.

Item, quae differunt in priore, differunt in posteriore: igitur quae differunt genere, differunt in quolibet posteriore, & nihil idem est in generibus diuersis generalissimis.

Cap. 5.

Ad quaestionem dicitur: quod idem dicitur multipliciter, vt dicitur primo Topicor. genere, specie, & numero: & idè numero tripliciter: accidente; proprio, & diffinitione: & in 5. Metaph. dicitur, quod idem secundum se dicitur tot modis; quot modis vniuocè secundum se: scilicet, numero; specie, genere, & proportione, & idè proportione, & idem numero quoad duos modos: scilicet, idè accidètere, & proprio, potest esse in diuersis generibus: quia animal, & color, sunt idè proportione: quia huiusmodi identitas est in similitudine se habere: sicut enim color se habet ad albedinè: ita animal se habet ad hominè. Similiter Sortes, & albus, idem sunt accidente: Sortes, & disciplina perceptibile, vel risibile, sunt idè proprio: & sic eadem manifestum est, quod sunt in diuersis generibus. Idè specie, vel genere, nullo modo est in diuersis generibus generalissimis, vel quibuscunq; non subalternis, vt species vel differentia; nisi forte idè genere superiore in diuersis generibus inferioribus. Quod autè idem specie, vel genere inferiore, non sit in diuersis generibus superioribus non subalternis, vt species, vel differentia, videtur manifestum: quia ad essentialia speciei pertinet genus: ergo si idem specie, vel genere inferiore esset in diuersis generibus superioribus: illa ambo genera essent de eius essentialia: igitur illud non esset idem essentialiter: quia duo genera non subalterna diuersam essentialiam praedicant. Similiter

Text. non habente com.

V 3 disse